

enim sine nutu permissuque divino pax di-
cenda est tamquam evolasse ex orbe terra-
rum; scilicet, ut gentes humanae, quae suas
omnes curas defixissent in terras, oblivio-
nem neglectumque Dei mutuis caedibus inter-
se vindicarent. — Accedunt identidem alia
rerum eventa, quae homines cogant « humili-
lari sub potenti manu Dei ». (I. PETR., 5, 6);
cuius generis id quod proximis diebus eve-
nit, scimus omnes quam horrendum fuerit
et quam luctuosum (1).

Iam vero, quoniam deprecatio communis
acceptior Deo est ac fructuosior, bonos,
quotquot sunt, exhortamur, ne desinant
quidem apud se quisque divinam implorare
clementiam, sed potissime id faciant, pu-
blicas in sacris aedibus preces frequentando.
Nos autem, propterea ut uno eodemque
tempore quam maximus concentus com-
precantium exsistat, duas, ut nostis, sol-
lemnes supplicationes indiximus, unam Eu-
ropae catholicae in diem septimum mensis
proximi, alteram catholico orbi reliquo in
diem vicesimum primum mensis martii. Pri-
mae supplicationi Nosmet ipsi ad Sancti
Petri in Vaticano interesse constituimus;
nec dubitamus quin vos ibidem, Venera-
biles Fratres, Nobiscum adfuturi sitis.

Faveat communibus Ecclesiae votis, ad-
iutrix christianorum Sanctissima Deipara,
et sui patrocinii suffragio impetrat a Filio,
ut, mentibus ad veritatis lumen, animis
ad iustitiae cultum revocatis, pax Christi
revisat orbem terrarum, atque constanter
posthac cum hominibus permaneat.

S. Congregatio Rituum.

*De festis localibus quae a Religiosis recoli-
debeant.*

I. Ordines Regulares proprium omnino
habere debent kalendarium, quod pariter
adhibendum est a Monialibus et Sororibus
eorumdem Ordinum.

II. Congregationes seu Instituta utrius-
que sexus a S. Sede approbata et sub regi-
mine unius praesidis generalis constituta, si

(1) Scilicet. terrae illum motum in Italiae
Marsica regione, per quem triginta circiter
hominum millia misere perierunt.

ad recitationem divini Officii teneantur, proprium pariter habeant kalendarium.

III. Congregationes et Instituta, quae sive
Ordinaria sive Apostolica auctoritate sint ad-
probata, non tamen comprehendantur para-
grapho praecedenti, uti debent kalendario
dioecesano prout iacet, additis, iuxta Ru-
bricas, Officiis, quae ipsis peculiariter con-
cessa sunt.

IV. Ordines, Congregationes et Instituta
proprio kalendario gaudentes, amodo cele-
brare tantummodo debent officia localia De-
dicationis et Titularis ecclesiae cathedralis,
nec non Festa solemniora Patronorum prin-
cipalium, ita ut non amplius teneantur ad
Officia alicui regno, provinciae aut dioecei
concessa; neque ad Officia localia, quae ad-
nexam habuerunt feriationem, nunc autem
habent suppressam.

V. Quoad festa localia, quae a Regulari-
bus ut supra servanda sunt, ipsi uti debent
Officio et Missa Clero saeculari concessis, nisi
eadem festa ab ipsis Regularibus iam habean-
tur cum Officio et Missa magis propriis.

VI. Si graves exstant rationes ad aliqua
festa localia, praeter recensita, pro aliqua
Religiosa familia conservanda, Sacrae Ri-
tuum Congregationis iudicio subiiciantur, ut
praedicta festa, quatenus opus sit, in kalen-
dario inseri possit.

(Ex deer. diei XXVIII mensis Februarii
MCMXIV).

*De orationibus Servos Dei cum sanctitatis
fama defunctos respicientibus.*

Orationes quae Domino Deo diriguntur ad
gratias impetrandas ob intercessionem Ser-
vorum Dei qui cum sanctitatis fama dece-
serunt, indigent venia episcopi ut imprimi
atque inter fideles diffundi valeant, ad normam
Constitutionis *Officiorum et munerum*.
Attamen ad tramitem et mentem decretorum
S. U. Inquisitionis et Sacrorum Rituum Con-
gregationis episcopus abstinere se debet ab
iisdem orationibus commendandis, ac prae-
sertim indulgentiis ditandis. (Ex deer. diei
XXI mensis Martii MCMXIV).

Dr. JOSEPHUS FORNARI, sponsor.

Romae, ex off. I. Bertero et Soc. (Via Umbria, 27).

ALMA ROMA


LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium annuae subnotationis (fasc. 12) est in Italia libell. 9; ubique extra Italiam libell. 12
(doll. 2. 40; march. 10; rubl. 4 1/2; sh. 10; coron. 12) ante solvendum rectoque tramite
mittendum ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, Romam, Via del Governo Vecchio, 96. ~ ~

TERRAE MOTU

APRUTIANAM REGIONEM FUNDITUS EVERENTE

DIE XIII MENS. JANUARII MCMXV



*An dignis luctu lacrymis an Musa tonantis
Vim terrae motus damnaque flere queat,
Qui Italiae tractum frugum pecorisque feracem
Continuo immanem volvit in interitum?
Mens perculta horret vastam meditata ruinam,
Reddere sed graphice carminis arte nequit.
Hussitus det anhela mihi suspiria vates (1),
Et lyra docta queri Vergiliana modos!
Aprutii e scopulis nondum discusserat umbras,
Neve operum monitor Lucifer ortus erat;
Cum subito reboant tonitrus et utrinque locorum
Motibus horrisonis contremitt omne solum.
Proh dolor! an mundo lux ingruit ultima? stirpem
Audacem Japeti fata suprema manent?
Sub pedibus mugire vias, rimisque secari,
Aequoris ut nutet mobilis instar, humum.
Ipsa rotant iuga tot superimpudentia pagis,
Laevior in gyros ut pila raptis citos.
Oppida subvertens tellus excussa dehiscit,
Maceriae in barathrum praecipitesque ruunt.*

(1) IOB.

*Quadragea hominum ehu plus millia quassatorum!
Quae vis insontes devovet excidio?*

*Dulcia linquentes tutosque cubilia cives
Letho demergit sors inopina truci.*

*Quae tenuis hac placidam dederant pia tecta quietem
Hospitibus fiunt atra sepulchra suis,*

*Mutua dumque sibi grati dant oscula amoris
Matrem cum natis una ruina vorat.*

*Fingere quis poterit terroris monstra, fugamque
Municipum insanam, votaque mixta probris?*

*Hic efflat vitam tignis perfractus, et illa
Interclusa haeret conficienda metu,*

*Praerupto in tumulo vivens quod condita, vitae
Extremum assidue, quin moriatur, agit.*

*Traxerunt collapsa gravem sacra templa ruinam
Ortuchii et referens horreo funus atrox!*

*Plebs ea mane novo stipatur in aede fidelis,
Quo vacet officiis relligiosa piis.*

*Verbum haurire Dei, lacrymis admissa fateri,
Culpa ut protulox diva Synaxis alat.*

*O quibus incumbunt fatorum arcana! repente
In plebem fissus corruit ipse tholus.*

*Spes foveat, Christus quod sacramenta colenti
Aeternas epulas mox celebrare dabit!*

*Hinc atque inde locis late circumspice: strata
Cuncta terit gelido mors truculenta pede.*

*Si tunsis lamenta scatent ex aedibus, impos
Auxilium laribus ferre superstes erit.*

*Filius en matrem, sponsum flet sponsa peremptum,
Et querulos frustra dant per inane sonos.*

*At vitam quavis truciorem morte! quot ictu
Perculsos lapidum vulneris urit acus!*

*Impete fracta horrent violento membra coloni:
Luxuriat fuso sanguine pinguis humus.*

*Mixta senum ac iuvenum densantur funera eodem ehu!
Amplexu haerentes mortuus ac moriens;*

*Et lugubres casus per tot discrimina tellus
Concussa interdum terque quaterque tremit.*

*Semiruti hinc pendent muri dubiaeque minantur
Rupes: nil rudus praeter utrinque vides,*

*Arserit ac si primaevorum pugna gigantum,
In caecum orbe iterum praecepitante chaos.*

*Clade satur tanta cui se commendet oberrans
Incola inops animi sospes ab exitio?*

*Protinus eia Itali velut agmine surgite facto,
Fratribus atque alacres ferte levamen opum!*

*Nos sacer urget amor! Cretos nam sanguine ab ipso
Tum fidei nobis vincula sacra ligant.*

*E Petri solio Benedictus Maximus excit,
Instructo dum nos occupat hospitio.*

*Christicolae et superum notas properemus ad aras,
Assidue fusum pingua thura precum;*

*Omnipotens donec fratrum miseratus, honestam
Vivere adhuc gentem iusserit Aprutii.*

*Vindicet Italiae sibi sic pars optima vitam
Urbibus ex quassis, orbe stupente, novam!*

Mediolani, III Nonas Februarias MCMXV.

CAESAR MAMBRETTI.

De usu agnominationis apud Iustinum

Fuerunt qui in Iustini dicendi genere eiusque proprietatibus plus minusve accurate ac diligenter indagandis elaboraverint (1), sed huiusmodi disputatio, ni fallor, prorsus repetenda est, praesertim postquam Ruehliana editio critica (2), optimo sane iudicio et ad fidem opti-

(1) Vide, p[ro]e aliis: F. FISCHER, *De elocutione Iustini*, Diss. Halle 1868; I. SORN, *Ueber den Gebrauch der Präpositionen bei M. Iunianus Iustinus*, Progr. Laibach 1894; PAUCKER, *Ueber justinische Syntax* (in Zeit-

schrift für die österreichischen Gymnasien, vierunddreissigster Jahrgang 1883); WÖLFFLIN, *Archiv. für lat. Lexikographie* 11 (1900).

(2) Cfr. M. IUNIANI IUSTINI, *Epitoma Historiarum Philippicarum Pompei Trogi ex*

notitiam ac sermonis proprietatum illius aetatis qua pronae et praecipites litterae latinae labebantur, quaeque *argentea* nuncupatur. Quod opus, ni vires desint, quam cito aggressuros speramus.

Qui penitus in Iustini historias, in illud idest compendium sive Epitomam Historiarum Philippicarum inquisiverit, quas Pompeius Trogus conscripsit, Iustinus vero breviores fecit, de quibus multum disputatum est quaeque hodie paene silentio involutae languescunt (1), videbit eas rhetoricae flosculis hoc illic inspersas. Insunt enim illis omnia quae ad rhetoricae prorsus pertineant: quae reapse testantur auctorem de industria operam dedisse locutioni artificiose reddenda, variisque ornamenti instruenda, immo etiam numerose formanda, ut magis lectorem caperet, praeter ea quae quidem ipsius imperitiae tribuenda sint, utpote ab optimorum scriptorum usu remotissima, ab usu quoque communi vel aliena et prorsus errata. Quam ad rem iamdiu quaesitum fuit num Iustinus, in angustum cogens Trogum, eisdem fere verbis reddiderit eum, qui Augusti aetate floruit, an prope ex novo laboraverit, utpote qui materiam alienam sumens, omnia inde decerpens quae ad suum pensum pertinerent, quasi de suo et verba et locutiones addiderit. Responsum est, in illis quae ad normam atque usum optimorum scriptorum congruant, paene ad verbum Trogum, sive exem-

recensione Francisci Ruehl. Lipsiae, in aedibus B. G. Teubneri 1907. SCHANZIUS (*Gesch. der röm. Litt.*) eius editionem appellat *massgebend*, idest omnibus numeris absolutam, qua nihil potest desiderari perfectius meliusve.

(1) « Sed nostris temporibus auctor mire neglectus est, et inter paucos illos, qui ingenii acumen in eo exercuerunt, fuerunt qui quae

plar, fuisse redditum; quae vero ab usu optimae latinitatis abhorreant, quaeque vitia illius aetatis in perniciem ruentis propria redoleant, ea Iustinum de suo ingenio inspersisse, qui saeculo III, ut veri simile erit ex pluribus ipsius locutionis locis inducere, floruerit (2). Quod quam parum firmis fundamentis nitatur ac consistat, nemo est quin videat: poteratne Iustinus ita arbitrio suo indulgere ut quaedam integra relinquaret, exemplaris vestigia penitus insistens, alia vero ad libidinem commutaret, ut sua ipsius lineamenta sumerent? Quod si quis ad credendum pronus sit, ego quidem non probbo.

Videamus parumper quid ille in præfatione dicat. Scribit enim: « Horum igitur quattuor et quadraginta volumen cognitione quaeque dignissima excerpti, et omissis his quae nec cognoscendi voluptate iucunda nec exemplo erant necessaria, breve veluti florum corpusculum feci ».... « Quod ad te non cognoscendi magis quam *emendandi* causa transmisi ».

Vanum est hic indagare qui fuerit *emendator* ad quem Iustinus florilegium suum misit, ut mendosa quaedam currarentur, quum omnes conatus inscripti viri nominis integrandi sive supplendi ad irritum ceciderint. Restat tamen *emendandi* vox, quae ut mea fert sententia, ad litteram intellegi debet. Breiter, Iustinus, Trogus opus præ manibus volvens — equis autem negare potest

ante eos de emendando Iustino scripta erant aut ignorarent aut ignorare simularent ». (vide RUEHL, op. cit., praef., pag. xiv).

(2) Cfr. PAUCKER, loc. cit.: *Die Epitoma... des Iustinus bildet sprachlich ein nicht zu entwirrendes Gemenge aus dem Original und der Zuthat des Epitomators, der etwa zu Anfang des dritten Jahrhunderts schrieb.* — WÖLFFLIN, (*Arch. für Lat. Lexik.* 11, 1900, pag. 7):

quin per illud sane tempus iam variis mendis obscuratum fuerit, immo maiorem in partem immutatum? — fere ex integro elaboravit et modo aureum, ut ita dicam, sermonem adhibuit, quippe qui non fuerit omnino *crassa Minerva*, modo in vitia sua aetatis, invitus fere, illapsus est. Ceterum, iuvat hic antiqui interpretis cuiusdam verba afferre, quae etiam nunc eamdem habent vim: « Nam velle ex hac Epitoma de integro Trogum opere iudicare, desipere est: ita Trogum male accepit hic, quisquis fuit, Iustinus. Qui dum resecare cupit, quae nec iucunda erant et minime necessaria, optimum auctorem prorsus evitavit, ut vetus poëta loquitur » (1).

Diximus nuper Iustini Epitomam rhetoricae flosculis sive fuso passim inspersam esse; neque iniuria (2). Si enim narrat, non rerum causas inquirit; minimis ac tenuissimis describendis immoratur, sententias et præcepta morum narrationi inserit (3), eodem modo fere singula capita terminat, verborum redundantia abutitur, decorem poëticum in verbis adhibet, illa idest seligens quae propriæ ad poësim spectent, novas imagines comparationesque inducit, sermonem denique figuris tropisque, interdum vel audacioribus, variat.

Iustin..., welcher im besten Falle in das Ende des 2 Jahrhunderts n. Chr. fällt. — NORDEN autem censem Iustinum saec. III, non IV floruisse, quod « für die damaligen Bedürfnisse diese Epitome zu ausführlich ist » (*Die antike Kunstprosa*, Leipzig 1898, p. 300, Anm. 3).

(1) Cfr. IUSTINUS — *Trog. Pompei Historiarum Epitoma. In eamdem notae... et variarum lectionum libellus*, Parisiis, 1581.

(2) Non accedo opinioni Teuffelii qui haec habet: *Cet ouvrage est composé dans un style animé et un langage classique plus substantiel et moins rhétorique que celui de Tite-Live: il présente par cela même plus de garan-*

*Alio de iis proprietatibus quae intrinsecus ad Iustini stilum spectent. Quod attinet vero ad figuræ, ecquis non videt, tantummodo primas paginas Epitomæ evolvens, pleonasmi exempla et zeugmatis et anacoluthi et omissionis et iterationis et aliarum figurarum profusis manibus insertarum? Ecquem latet ille vocabulorum abstractorum usus, qui paene nimius exuberansque dicendus est? quem fugit illud *homoepton* quod fere in singulis paginis occurrit? illa verborum aequalitas et quasi rotunda sententiarum constructio, in quam continuo incidis quaeque per se ipsa hoc habet præcipuum ut, quum iam alterum circuitum percurreris, bene possis praesentire quo alter evadat, quid in se habeat, quomodo concludatur? Neque rara est *agnominatio*, quae in eo consistit ut verba similia tantum sonitu, non vi atque significatione, inter se copulentur.*

En habes exempla quae ipse decerpere potui (4): Lib. I, c. 6: fugiebat fugere. — Lib. II, c. 2: illis ulla. — Ibid. c. 13: reliquas copias rex... reducere in regnum... — Ibid. c. 14: casta referta regali. — Lib. III, c. 3: epulari opulentius. — Lib. XII, c. 7: cultus coalentium. — Ibid. c. 10: aestu ostio.

*ties de véracité (cfr. *Histoire de la litt. romaine* par W. S. TEUFFEL, trad. par I. Bonnard et Pierson, tome deuxième, Paris, 1880).*

(3) Cfr. FISCHER, op. cit.: « Ut denique aliud signum auctorum argenteae aetatis praestantissimum etiam in Iustino ostendam, permultas velim animadvertis sententias singulis narrationibus insertas, quibus non modo sui ipsius opinionem de iis, quas narravit, rebus prodidit, sed etiam rhetoricae, quam habuit, artem exercuit, plerumque anitheseos figura usus » (pag. 61).

(4) In opusculis quae proprius de Iustini scribendi genere tractant, parum apte, ni

— Ibid.: sine respectu... Alexander in conspectu... — Lib. XIII, c. 6: capere cupiebat. — Lib. XIV, c. 2: ad tempus metu mortis. — Lib. XVI, c. 1: fecisse se, sed occupasse insidias. — Ibid. c. 2: is contra ius. — Ibid. c. 3: res omissa esset. — Ibid. c. 4: cepit captumque accepta. — Lib. XVIII, c. 4: involueris involuta. — Lib. XX, c. 5: tantoque insperata... sperata victoria. — Lib. XXII, c. 4: victusque victoribus insultaret. — Ibid. c. 5: victores insecuri sint et obsessores... obse-derint. — Lib. XXIV, c. 2: exinde externo. — Ibid.: interea inter reges. — Ibid. c. 5: capitur caput. — Ibid.: nomina sicuti numina. — Lib. XXV, c. 4: timuerit... temeritas. — Ibid.: sepulti patris... in patriam. — Lib. XXVI, c. 2: cruenti ex recenti. — Ibid.: aduersus quem reversus. — Lib. XXVIII, c. 2: occidione caesi. — Ibid. c. 4: caesis occidione. — Lib. XXX, c. 4: pridem praedae. — Lib. XXXV, c. 1: confertissimos fortissime. — Lib. XXXVI, c. 3: latus lacus. — Lib. XXXIX, c. 3: foedum facinus facere — Lib. XLIII, c. 4: insidianti... insidiae.

Ex exemplis hucusque allatis nemo erit quin videat quam copiose et ad satietatem usque Iustinus in sua Epitoma agnominatione usus sit.

Scripsi Casertae, a. d. vii kal. Febr. MCMXV.

MARCUS GALDI.

fallor, huius rei mentionem iniectam inveni. Tamen res ea non est quae paene omnino neglegi debeat. Spero hunc indicem — uno tantum exemplo excepto, de quo amplius alio eloquar — plenum atque sincerum futurum esse, quum ea quae affer Seckius (cfr. FR. SECK, *De Pompei Trogi sermone* — pars altera, Constantiae, 1882) molestissima quadam diligentiae perversitate conquisita, putidiuscula esse videantur.

Salomonius Reinach contra synoptica Evangelia

Salomonius Reinach, natione gallus, religione iudeus, placitisque Rationalismi addictissimus, cui tamen, tum viri scientia praediti sinceritas, tum historici serenitas desunt, in suo opere *Orpheus*, non veretur asserere: « Notas Evangeliorum essentiales perverti omnino, si tamquam Historiae, Traditionisque documenta recipiantur, quum e contra, nonnisi hypothetica documenta, fabulis, « legendis » que referta sunt ».

Momenta autem, quibus levis scriptor, ad tam audacem assertionem motvetur, duo ab ipso enumerantur: I^o, nullum Evangelium a testibus ocularibus scriptum fuisse; II^o, Evangelia esse scripta, « legendae » nomine donanda.

Brevitatis causa, ad sola synoptica Evangelia criticen nostram adstringimus, atque tum ex personis quae Evangelia scripsere, tum ex Iesu Christi Persona ab Evangelistis descripta, synopticorum Evangeliorum veritatem historicam vindicabimus, simulque, Salomonis Reinach momenta, nullo fulciri fundamento ostendemus.

**

Primus inter eos, qui Evangelium scripsere, est Matthaeus a Marco Levi vocatus, quique « Evangelium in Iudea, Hebraico sermone edidit, ob eorum vel maxime causam, qui in Iesum crediderant ex Iudeis ». In Evangelio legimus (1) Iesum vidisse Matthaeum « sedentem in telonio », dixisseque illi: « Sequere me. Et surgens secutus est eum ».

Secundus Evangelista, vocatur latine Marcus, hebraice Ioannes; cuiusdam

(1) MATT. IX, 9.

Mariae in Ierusalem viventis, ad cuius domum Petrus dum de manu Herodis liberaretur, pulsavit (1), filius est. Circa a. LX-LXIV, Romae fuit, ibique Evangelium suum scripsit. De eo Papias refert: « Marcum Petri interpretem quaecumque memoriae mandaverat diligenter praescripsisse: non tamen ordine pertexuisse quae a Domino aut dicta, aut gesta fuerant » (2).

Lucas, natione graecus, « medicus clarissimus, Apostolique Pauli socius, est tertii Evangelii auctor, neconon Historiae de Apostolorum Actibus, prouti, tum ex modo quo vita et opera Iesu Christi ab eo concipiuntur, tum ex modo quo vitae Eius facta describuntur, eruitur.

En Evangeliorum synopticorum scriptores. Prouti cuique notum est, Evangelistae viri sunt simplices, maxima honestate praediti, a quovis liberi praediudicio, neque metaphysicae scientia, vel rhetoricae arte, vel philologiae, et historiae doctrina praesumentes. Animi simplicitatem, in scribendo aemulantur, neque Thucididis vel Titi Livii personam induunt; ad evangelizandum, atque ad facta vitae Iesu Christi enarranda, unice scribunt. Cur igitur fas erit, Evangelistis scribentibus fidem denegare nostram? Nonne, Eusebio, ecclesiasticae historiae patre, testante, secundus Evangelista Marcus « id unum studebat, ut ne quid eorum quae audierat, praetermitteret, aut ne quid falsi eis affingaret? ». Nonne tertius Evangelista Lucas, in sui Evangelii *Prologo* de semetipso fatetur: « Quoniam quidem multi conati sunt ordinare narrationem, quae in nobis completae sunt, rerum... visum est et mihi, assecuto omnia a principio, diligenter, ex ordine tibi scribere, optime

(1) ACT., XII, 13.

(2) EUSEB., *Hist. Eccl.* I. V, c. VIII.

Theophile? ». Ironiam quippe saperet, neque facile concipitur, quomodo S. Lucas fabulis, fictisque narrationibus, ex politi Theophilii, atque ad Christianismum nuper conversi, fidem confirmare voluerit. Scriptorum Evangeliorum persona historice inspecta, fateri cogimur: Evangelistas, nonnisi facta realia certaque narrasse, eorumdemque librorum historicam veracitatem non posse amplius in dubium verti.

**

Persona Iesu Christi ab Evangelistis synopticis descripta, lucem inhabitat pulcherrimam! Res miranda! In Christo Iesu, ab Evangelii nobis tradito, neque bellatorum violentia, neque reformatorum duritia, neque tribunorum populi eloquentia apparent; sed ubique et semper, cordis mansuetudo et humilitas. Non decipit turbas, neque earumdem favet desideriis, immo paupertatem, patientiam, suipsius sacrificium illis commendat. Dum loquitur, non humanae sapientiae verba adhibet, sed parabolas, summa usus simplicitate. Miracula patrat, non ad sui commendationem, sed ad afflictorum egenorumque solamen; atque dum Pharisei et Sadducaeи eum tentant rogantes ut signum de caelo ostendat eis, Iesus Christus ait: « Generatio mala et adultera signum quaerit: et signum non dabitur ei, nisi signum Ionae prophetae ». S. Matthaeus refert nobis quod « relictis illis abiit »; S. Marcus, quod « dimittens eos, ascendit iterum navim, et abiit trans fretum » (3). Sanetus quidem et « impollutus » est Christus Salvator, peccatores tamen omnis generis recipit, cum peccatoribus manducat, ita ut Phariseos scandalizet. Matthaeus de turbis narrat: « Venit Fi-

(3) MATT. XVI, 1-5; MARC. VIII, 11-13.

lius hominis manducans, et bibens, et dicunt: Ecce homo vorax, et potator vini, publicanorum et peccatorum amicus». Lucas de Pharisaeis refert: « Venit Filius hominis manducans, et bibens, et dicitis: Ecce homo devorator et bibens vinum, amicus publicanorum et peccatorum » (1). Hisce omnibus non obstantibus, Persona Iesu Christi plane admirabilis est; in infinitum magnitudinem bellatorum, reformatorum, tribunorum, sapientium atque thaumaturgi excedit, inimicis Iesu Christi fatentibus, vere miraculum, prodigium, portentumque manet.

Coram huiusmodi miraculo, vir scientia historiae vere praeditus, ita rationcinari debet: Persona Iesu Christi, uti in Evangelii synopticis descripta est, vel Evangelistarum arti, vel eorum imaginationi tribuenda est, vel e contra tanquam historica realitas, a veracitate historica qua Evangelia gaudent nobis fuit relicta. Nequit primum asseri, quum Evangeliae nulla polleant arte atque ipsem S. Lucas, quamvis natione graecus, huiusmodi operis praestando, imparem se prodat. Nequit secundum affirmari, quia hoc idem valeret, ac effectum, absque causa proportionata, asserere. Nonnisi unum remanet, Christum nempe Iesum ab Evangelistis synopticis descriptum, ad historiam pertinere, atque Evangeliorum libros historica gaudere veracitate. Iure propterea Iuelicher, scriptor licet ex « protestantica » parte, aiebat, hoc fuisse Evangeliorum synopticorum meritum praecipuum, imaginem videlicet Iesu Christi historicam fideliter servandi (2).

**

Audiamus modo Salomonem Reinach Evangeliorum historicitati contradicen-

(1) MATT. XI, 19; LUC. VII, 34.

(2) *Einleitung*, p. 328.

tem. Primo arguit (3): « Evangelia synoptica, non a testibus qui facta narrata viderunt scripta fuere »; secundo: « Evangelia synoptica, tanquam opus quoddam « legendae » nomine dignum habenda sunt ».

S. Marcus et S. Lucas, respondemus, factorum quae ab iis narrata sunt, testes oculares vere non fuerunt; primus tamen Evangelista, id est S. Mattheaeus, eorumdem factorum testis exstitit ocularis. Neque Salomon Reinach, eorum quae in sua *generali Historia* scripsit, testis fuit; vae autem homini, qui historicam veracitatem sui ipsius libri in dubium vertat!

Rursus, dum Iulius Caesar, eorum quae in suis *Commentariis de Bello gallico* testis est; Tacitus, ex *senioribus* audivit ea quae circa Tiberii regnum scripsit (4); siquidem *Annales* suos circa Tiberii regnum (14-37), septuaginta quinque annis (a. 110) post eiusdem Imperatoris mortem in lucem edidit. Quid tamen habemus? Veracitas historica Taciti a nullo homine in dubium vertitur; veracitas historica contra Iulii Caesaris in dubium vertitur.

Leviter Salomonius Reinach, affirmit Evangelii synopticis characterem « legendarium » esse tribuendum, quum eius affirmatio nullo fulciatur fundamento; neve ipse sua affirmationis momenta afferat. Animadvertisimus praeterea « legendam » persaepe charactere vere historico gaudere, quum nonnisi historia viva atque vera sit, quadam poësi donata.

Ius igitur nobis est, contra Salomonis Reinach illas affirmations concludere, Evangelia synoptica, genuina certaque esse, atque historica gaudere veracitate.

REGINALDUS FEI, O. P.

(3) *Orpheus, Histoire Générale des Religions*, chap. VIII.

(4) Cf. BATTIFOL, *Orpheus et l'Évangile, l'Historicité du récit Évangélique*.

ARCHEOLOGICAE RES

DOMITIANI AEDES NUPER INVESTIGATAE.

Nerone extincto, Roma levari visa est gravi improbissimi hominis pondere, atque in primis eo totis viribus niti, ut vel nomen iniquissimi imperatoris e memoria hominum auferret. Quo facto *Domus aurea*, quam tot fraudibus Nero aedificaverat et lacrimis, etiamsi infecta, primum negligi coepta est, brevique in abiectionem abiit. Interea, quum in generis humani solatium, Domus Flaviorum, multis iam operibus illustris atque victoriis, ad summa rerum gubernacula pervenit, ut aliquod etiam monum-
tum potentiae sua exstaret, iisdem fere locis, quae paullo ante aedibus Neronianis celebrabantur, ut hominis prope memoria deleretur, nova aedificia imponere et magna vi ruderum haec vetera loca obruere, quae imperator nuper secure obtinebat. Hinc factum est, ut in iisdem domibus nondum perfectis, diaetas novas aptiorem in ordinem dis-

ponerent cultuque splendidiore eas exornarent, addita hortorum amoenitate ex ingenio praescriptoque maximorum artificum, qui tunc Romae florescebant. Sic opus supra quam cuique credibile est ab inchoato Vespasianus incepit ac prosequendum curavit. Qui, ut novo cultu urbem decoraret, theatrum ad civium iucunditatem extruxit in lacu ipso Neronis; quod ingenii sui atque sapientiae miraculum prope divinum omnes gentes profitentur, idque colossicum adpellaverunt. Hoc nempe nomine « *Colosseo* » posteritati prorogatur; idque vulgo per os hominum fertur, omniumque Romanorum monumentorum pulcherrimum.

In ipso Esquilino aedicari mox coepitae sunt Thermae quoque omnium amplissimae, quae a Titi cognomento decoratae etiam nunc vigent et maiestate

sua ac pulcritudine potestatem auctoris concelebrant. Ad haec, ut aliquando in caelo videntur nubes se se condensare et paullatim solem prope ab oculis spectantium eripere, sic, sensim sine sensu, ad Neronis veluti nomen e mortalibus averruncandum, super ipsam auream Domum Palatia nova moliri cooperunt, domus domibus satae sunt, sive cuncta quodammodo opera Neroniana longe concuerunt.

Verum si Vespasianus ac Titus eius filius, ut aerarium parce gravent, frugaliter vivunt, et vetera privatorum palatia habitant, quae monumenta Romae invenirent, ad civium solatium urbisque ornamentum, in foris exornandis locanda curabant, inusitato splendore atque artificio. E contra Domitianus, qui patrem fratremque in dominatione exceptit, auctore Plutarcho, ad insaniam domus construxit omnium splendidissimas, auro ornatas atque marmore, ut sibi, qui se se dominum divumque appellari iuberet, aptissimum templum aptaret.

Novissimis vero temporibus insigne hoc artis monumentum ad pristinam dignitatem vindicatum esse visum est. Quamquam, ut alias innui (1), A. Bianchinius, superiore saeculo summus architectus, Francisci primi Parmensium ducis auctoritate atque expensis, complura detexit conclavia immensis decorata ornamentis atque solertia, multaque monumenta, quae in Farnesianas aedes fuerunt translata ad civium advenarumque oblectamentum, atque insuetum divitiarum antiquarum seriem testantur.

Sed, res prope incredibilis, novissimis terrae cumulis paullo post additis, omnes hi deleri thesauri videbantur, atque ab hominum cultu auferri, ad nostra prope usque tempora.

(1) Cfr. num. sup.

Nunc tandem et Domitiani aedes in lucem adparent, quae nil aliud erant quam veterum Romanorum habitatio-nes, sed in ampliorem formam redactae



« AVUS », KLIMOCHII TABULA

omniumque ditissimae. In fronte tres fores adsunt, quarum una, quae *Tablinum* adpellabatur, ad parietem absidem habebat cum solio. Erant circum muros columnae undecim pretiosissimae ex pa-

rio marmore miroque artificio confectae. Insper sunt octo ampliae aediculae, in quibus magnae statuae positae erant: omnes vero, duabus exceptis, nunc de-siderantur: harum altera Herculem refert, Bacchum altera. Ad ianuae latera binae erant marmoreae columnae con-tinctae croceo vete-re, quae nuper prime duobus millibus au-reorum nummorum venierunt. *Tablinum* est inter duo con-clavia impari am-plitudine; quarum alterum *Lararium* erat fortasse; ubi numina domus re-ligione asservaban-tur.

Ultra peristylum cavaedium patebat cum porticu amplissimum trium mil-lium mensurarum et amplius quadrata-rum. Adparent etiam nunc columnarum reliquiae striatarum e pario marmore, ae-dibus firma olim ful-cimina, et parietes e lapide numidico ex-or-nati. Nondum utique sunt omnia detecta et magna rerum pars iacet ruri supposita, cui no-

men est nunc *Mills*. Haec autem esset omnino in primis delenda; quod quisque citius pro rei magnitudine animo festinat. In posteriore peristyli parte atque e regione tablini, magnum ostium adpa-

ret, qua ad *Triclinium* itur. Ante Do-mitianum, ut ait Martialis, in Palatinis aedibus desiderabatur convivii aula Cae-saribus digna. Hinc magnis laudibus ad caelum eum effert, eique amplissime gratulatur, quod tandem convivii aulam Olympo dignissimam extruxisset, in qua numina ipsa degustare nectar possent; atque e Ganymedis manibus pateram saeram desumere. Haec sunt Martialis carmina in laudem Palatii Domitiani, quibus hodiernis hisce notulis finem im-ponam:

*Qui Pallatinae caperet convivia mensae,
Ambrosiasque dapes, non erat ante locus.
Hinc haurire docet sacrum, Germanice, nectar,
Et Ganymeda pocula mixta manu.
Esse velis, oro, serus conviva Tonantis,
At tu si properas, Iuppiter, ipse veni.*

SENIOR.

Ingenuarum artium specimina

« AVUS », KLIMOCHII TABULA.

Quam « Avus » tabula Klimochius inscripsit, familiarem scaenam eamque suavissimam praebet. Senex ille canus, languidis oculis, actum iam longe tem-pus nepotulis suis, quorum alter ex eius labiis pendere attentus videtur, revocat, exque suae vitae eventibus monita, extrema fortasse, in eorum utilitatem educit.

Stant coram et prope fidissimi eius consortes duo: uxor, agilis adhuc ac teneri amoris plena, qui ex contemplantis obtutu promanat; et canis, vigilis pro-fecto, quamquam lassus et somniu-losus apparet. Hisce optime adversatur alterius mulieris adspectus in tacitas lacrymas sese effundens: senis haud dubie est filia, intimis dilectionis sensi-bus erga patrem commota.

Actio, quae in aliquo Teutonico ca-stello evolvitur, nonne cruentissimi quod geritur belli memoriam sponte revocat? Horatiique vocis exprobrantis:

*Quo, quo..... ruitis? aut cur dexteris
Aptantur enses conditi?
Parumne campis aut Neptuno super
Fusum est..... sanguinis?
Neque hic lupis mos, nec fuit leonibus
Unquam, nisi in dispar, feris.
Furor ne caecus, an rapit vis acrior?
An culpa? Responsum date.*

X.

Q. Horatii Flacci epistola ad Augustum.⁽¹⁾

Dux est auctor publici consilii, dux regendae civitatis, princeps sententiae in senatu. Hinc si dux pertinet potissimum ad rem militarem, ac propterea, qui exercitui ad proeliandum praestat at-que, imperitat, optime dux appellatur; eodem vero nomine honoratur qui regit populos. Nimirum Horatius de Augusto auspicatur:

*Longas, o utinam, dux bone, ferias,
Praestes Hesperiae!*

Terris semota etc. Hae duae senten-tiae unum atque idem sonant, ut si di-xisset: Postquam e vivis excesserint. — Ipsi enim quum bene merentur de ho-minibus, aegre tulerunt atque ingrato illorum sensu saepe sunt conquesti.

Simili ratione, idest nullo omnino di-scrimine et fastidit et odit omnia prae-ter quam ea quae videt remota.

*Sic fautor veterum, ut tabulas peccare vetantes
Quas bis quinque viri sanxerunt, foedera regum
Vel Gabiis vel cum rigidis aequata Sabinis,
Pontificum libros, annosa volumina vatum
Dictit et Albano Musas in monte locutas.*

(1) Cfr. num. sup.

Fautor veterum, omnium scilicet veterum linguae nostrae monumentorum. Regnante Augusto, dum omnes cives essent procul negotiis, ut aliquam sibi famam compararent, se se in litterarum studium converterunt. At illico eorum mentem de vera sermonis ratione quaestio molestavit, quum nonnulli vellent modo vetustissima populi verba in usum revocare. Suetonius inter antiquarios ab Augusto reprehensos nominat Venarium Flaceum, qui, teste Flacco, in voce *Mille Urbium* composuit librum inscriptique *Priscarum vocum*. Hic igitur similesque Horatii loci magnopere placere Augusto debebant. — *Ut dictaret*, nos diceremus: *vada dicendo*; musas locutas esse in monte Albano tabulas peccare vetantes, quibus bis quinque viri, decemviri scilicet, qui sanxerunt sub aliquam poenam foedera regum romanorum, *aequata*, idest *icta* et ex aequo composita vel cum Gabiis... *annosa* volumina etc. auguria veterum pontificum. Auguria enim vetera quo fortius mentes hominum novitate percuterent, versibus continebantur.

Sed maiora nos manent neque omnino a re nostra absonta.

Iuvat scire, nec vos, electissimi iuvenes, latet, Romanos, rei bellicae primus unice intentos, mansuetiores artes neglexisse, et serius omnino, post Syllae obitum, uberrimam scriptorum copiam retulisse, ut cum expolitissima Graecorum gente iam de humanitate contendere viderentur.

Sed paucula omnino adsunt litterarum documenta, ante hanc aetatem. Ipsae *duodecim Tabulae*, quas amplissimis laudibus effert Tullius in libris *de Oratore*, nuda fragmenta atque arida sunt. Magnum equidem nativae illius aetatis testimonium prae se ferrent, et quemadmodum nos Itali ad illa tempora curiosius respicimus, quibus primum re-

centi ac vulgari nostro eloquio usi sunt patres illi antiquissimi, eorumque candorem ac simplicitatem admiramus, sic Romani iure fecissent. Sed praeterquam quod hae reliquiae paucae sunt omnino, quae ex communi naufragio enatarunt, horrido stylo sunt exaratae, atque abunde testantur Romanos non solum sub regio et consulari imperio, sed et decemvirorum aetate, hoc est usque ad initium saeculi quarti, agresti et rudiori lingua usos fuisse. Ad haec, ut ex testimonii argui potest, erat etiam tum insolita litterarum forma, discrepantium casuum nexus, et obsoletae illae voices, quae in hisce inscriptionibus occurserunt, puerilem latini sermonis aetatem produnt, quae grammaticae studio in urbem nondum invento, una scribendi loquendique lex erat populi consuetudo.

Haec erant dicenda quo clarius idemque rectius poetae verborum sensum mente assequi possemus. Sed singula quaeque enucleanda sunt.

Quum gravissima certamina inter Patres et plebeios perpetuo exardescerent, nec leges regiae ad quaslibet lites dirimendas, atque ad rempublicam rite administrandam iam satis esse viderentur, Romani de novissimis legibus ferendis tandem cogitarunt, quae ad aequandam civium libertatem pertinent. Hinc *aequata foedera* iure meritoque appellat Horatius, quasi diceret: *foedera iniisse aequis conditionibus confecta*.

Gabii... Gives Gabiorum, ad quos filius Tarquini insidiosus confugerat, foedus ferierant cum Tarquinio Superbo. Ad foedus quod attinet ictum cum Sabinis, ad tempus Romuli vel Numae pertinere videtur. Titus Livius et Dionysius Halicarnasseus scripserunt: « *Hoc foedus praeter exspectationem aequum fuisse* ». Quum de Sabinis sermo sit, *rígidos* fuisse, duros scilicet eosdemque tetricos,

ob morum integritatem, omnes fere scriptores dixerunt. Cicero Sabinos severissimos homines vocat. — *Pontificum libros*... intelligamus oportet libros rituales et Annales, a Pontifice Maximo confectos usque ad annum Urbis Conditae DCXX, in quibus certe quattuor primorum Romae saeculorum res gestae prisco sermone expositae erant. Hic vero optimum factu putabo si hac de re in medium ipsissima Oratoris Romani verba conferam: « Plurima est in omni iure civili et in Pontificum libris et in XII Tabulis antiquitatis effigies, qua et verborum prisca vetustas cognoscitur ». Perapte dicitur *prisca vetustas*, quae effecit, ut verba ex memoria hominum sublata in desuetudinem venirent. Dolendum quidem est corpus legum Romanarum et Annales, temporis iniuria intercidisse. Sed omnes qui vel e limine litteras latinas salutaverint, haec omnia antiquitatis monumenta delibantes, optime noverint, Romanos hac aetate parum aut nihil fere de litteris cogitasse.

Memorat quoque *volumina vatuum*; quae vaticinia referunt, et versibus saturniis exarata in vulgus ediderat Cunnaeus Marcius. In istis vero vetustioribus Romanorum carminibus, rhythmus potiusquam numerus spectabatur: ita ut ad aurum tantummodo mensuram exacta, similiter recurrentibus spatiis continerentur. Ex istis autem carminibus est qui contendat italicæ poëeos primordia esse repetenda. Quum enim Itali recentiores rhythmicis versibus voces in fine addidissent similiter desinentes, illud italicæ carminis genus ortum est, cui nomen est factum: *verso rimato*.

Poeta dicit Musas latinas locutas esse in monte Albano, ut musae Graeciae e monte Parnaso loquerentur. Nonnulli haec Horatii verba in derisum prolata esse autumant, ut Albanorum iactan-

tiam argute carperet, quod nimis de suo rum montium salubritate atque amoenitate superbirent.

(*Ad proximum numerum*).

I. B. FRANCESIA.

ANNALES

Quae per superiorem Februarium mensem in cruentissimo Europæ bello gesta sunt, ea orientales regiones praesertim respiciunt. Russis ab offensione in orientali Borussia retentis, Germani, duce Von Hindenburg illo strenuissimo, in pugna per dies novem indesinenter pugnatam ad Masurianos lacus eos ita fuderunt, ut eorum exercitum ad ducenta hominum millia omnino disiecerint. Fuso insequuti sunt praeter Suvalkianam provinciam usque ad urbem Pradznyetz, quam tamen, succendentibus auxiliariis copiis, relinquere coacti sunt. In Bucovina pariter Russicis agminibus recepcionem fuit, cuius regionis partem unam, quae scilicet ad Sadagoram attingit, nunc obtinent. Neque progressum ullum in Carpatibus montibus retulere, ita ut spem Hungariam invadendi magis magisque extenuari viderint. Melior fortuna iis arridere in Galitia apparet, unde non sine successu certatum ab iis ad Stanislau fuisse nunciatur. Hisce eventibus deducere licet, iustum proelium brevi prope Varsaviam futurum.

De reliquis belli campis parum immutatum: Germani enim cum Gallis de aggeribus collibusque adhuc contendunt; Turcae et Angli invicem minaci silentio utuntur; levia praelia faciunt cum Austris Serbi Nigrique Montis incolae; Russi denique et ipsi adversus

Turcas molliter agunt, atque tantum prope Ciorok.

Si vero haec fiunt in terra, in mari acriora comparantur. Hinc enim Germani, Anglos incusantes quod neutrorum signis insonerariis navibus meritorius abuterentur ut sibi commeatus expedient, Anglici littora omnia tamquam ad belli campum pertinentia se habere ex improviso declarant. Inde fit ut subaquei Germanorum lntres et vere « neutrorum » naves pessumdent passim, horum protestationes moventes, quas tamen Germani lenire student.

At maioris proculdubio momenti est impetus, quem Anglici classis coniuncta cum Gallica in Hellespontum aggressa est: dum scribimus, externae freti arces iam dirutae fuisse perhibentur.

Inter huiusmodi furores Summi Pontificis pietas refulget; qui indictis ubique terrarum certa die ad Deum precibus ut flagella tot avertat pacemque reducat, ipse ad eas cum populo effundendas in Vaticanam basilicam descendit. Interim captivorum qui bello inutiles facti sunt, permutationem sollicitat et impetrat, ita ut iam nunc non paucae sint familiae, in quas solis radius, pallidus licet, per eum redierit.

**

In Lusitania nebulae decidunt nondum. Dum enim civilis consilii praeses Alfonsus Costa vix e sicarii manu eripitur, voces diffunduntur recentem seditionem, vi sedatam, ab Anglia motam esse, in spem inducta fore ut si Emmanuel rex in solium restitueretur, in Europaeum certamen cum ipsa descendenterit.

**

In Mexicana republica Villa, militum praefectus, quum tum Carranza praesidem, tum Garza praesidem pro tem-

pore, coegisset ut urbem caput relinquent, sese reipublicae rectorem dixit. Profecto singulari memoria praediti sint Mexicanii oportet, ut nominis praesidis sui, in dies mutantis, recordentur!

Kal. Martii MCMXV.

POPPLICOLA.

VACUI TEMPORIS HORA

Cicero apud Plutarchum narratur, quum apud Damasippum coenaret atque convivator mediocre vinum apposuisse, idque convivis a vetustate cuperet commendare, inquiens: « Bibite Falernum hoc; quadraginta annorum est », — « Bene — dixisse — fert aetatem ». Hoc modo — Plutarchus concludit — de homine loqui solemus, cuius formae viribusque non multum detrahit aetas. At ridiculum erat vinum ab immodica vetustate commendare.

Memini huius apophthegmatis quum calamum resumerem ad *vini argumentum* explendum, quod in superiore numero sum aggressus; dumque cupio forma et viribus non destitui in epitheton elenco diutius immorans, nolo simul ridiculus videri immodice praebens nominis adiuncta, quorum pleraque lippis ac tonsoribus fortasse sunt nota. Faxint Superi, ut quodcumque est laboris, in commodum saltem vertat eorum, qui ipsum a me requisiverunt.

Iamvero ut initium sumam unde oblata est occasio, dicam *Falernum* item atque *Appianum*, non *cibarium*, *vulgare*, sed *vinum nobile* apud Romanos fuisse, idque *mulsum* atque *generosum* et *suave*, quod Italice nunc ex uvae *qualitate vulgo moscatello* nuncupamus (1).

(1) Vini mulsi genus singulare *nectar*, quasi mel, ab antiquis dicebatur, et etiam *murina* ac *mirrhina*, quasi conditum mirra.

Ipsum ut *honorarium* vere dici queat, peculiari colatura indiget; secus *vix hornum* sive *hornotinum*, hoc est unius anni, bibere non licet, quin *acuens* fiat. *Villum exiguum* et *tenue* *vinum uno verbo appellatur*; *acre* contra et *temetum* *vinum*, quod grave sit facileque tentet ac labefactet mentem; ut nonnunquam *oenanthinum*, *vinum* scilicet ex labrusca. Ex *uvae* *colore* *vinum* *habemus* *nigrum* seu *rubens*, *album*, *helveolum* denique sive *helvolum*, quando est *subrubrum*. *Mustum*, recens *vinum* est; quod quum sponte fluat antequam calcentur *uvae*, *lixivium* dicitur, aut etiam, *graecanica* *voce*, *protropum*; quando autem novissime exprimitur post primam *vinaceorum* *pressionem* — (*horum massa*, *bris* dicitur) — *tortivum* sive *circumcidaneum*.

Mucidum praeterea, quod mucedinem, mucorem contraxit; *recentatum* postquam fuit renovatum (Italice: *rincappellato*); *requietum* quum opportuno tempore resedit; *elutriatum* quum de vase in vas fuerit transfusum; quod si in huiusmodi operationibus aut alia de causa deforbuit et odorem saporemque amisit, *vappa* fit; si nihil amisit purumque immixtumque remansit, *merum* et *meracum* *vinum* vocatur.

Finem tandem dicendi imponens, te certiores volo, humanissime lector, si *vinariae rei aliquantis* per *peritus* *tibi visus sim*, certe *tibi* cum *Plauto* repetere me haud posse:

Mihique ignoscas
Quod animi impos, vini vitio fecerim.

**

Per Martium mensem, ac praesertim diebus S. Iosepho atque Annunciationi B. Mariae Virg. sacris, solent Itali, atque in primis Romanii, parvi panis genus aliquod delicatum comedere, quod *fritella* vulgo nuncupamus, ex simila frixa,

unde praecipue constat, nomine proculdubio deducto. Horum gulae irritamentorum — (oleumque in quo coquuntur vere gulam irritat) — usus immemorabilis est, eaque *artolagana* — (et etiam, masculino genere, *artolaganus*, *i*) — apud antiquos dictabantur. Quos tamen praeteream neque de re interrogabo; morem enim nostris diebus gerere volo, rationemque offerre qua *artolaganus* conficiatur.

Ovorum igitur luteis aliquot una cum panis mollibus, quae prius lacte imberbis ac presseris, excussis, adde sacchari quod satis reputes, itemque cedridis iam saccharo conditi, *uvaeque passae*. Misce, omnia ita cum similagine concorporans, ut habeas demum concordem solidioremque conglutinationem, quam ad baculorum formam redactam in partes eas divides, unde parvae spirae conformari possint. Spirulas has, farina aspersas, aliam post aliam multo oleo in patella reliqueris donec auri pulchrum colorem sumpserint. Tum furcula extrahes, saccharo perfundes, calidasque gustatui offeres.

**

Iocosa.

Ratiocinator et Servus.

- Est ne domi herus tuus?
- Quid ab eo expetis?
- De pecunia ratiocinandum mihi est cum eo...
- Pro dolor! Domo iam ab hora exit...
- De pecunia, inquam, quam ut ei solverem veneram.
- Ah!... proxime rediit. Ingredere, bone vir, statimque eum convenies.

Magister ac Discipulus.

- Quum atra procella imminent, in felem pilorum contrariam deflexionem

vehementer agita: electridis existentia oculis tibi statim occurret.

— Et felis quoque, magister mi!

* *

Aenigmata.

I.

Secunda persona modi coniunctivi, temporis imperfecti, verbi latini cuiusdam nomini respondet unius ex filiis Patriarchae biblici notissimi. Quis est filius ille?

II.

Gentes pro *primis* dimenticant;
Inter indeclinabiles
Stat adiectivos *alterum*;
Tertium quartumque litterae
Enuntiatae labiis.
Quam sapiens totum! Arripe.

(Aenigmata in superiore numero proposita his respondent: 1] *Bibliotheca*; 2] vulgo *Rebus: Super as per; a ad astra = Super aspera ad astra*).

IOSFOR.

"Almae Romae,, Anthologia⁽¹⁾

Belliae Calamitates.

(Ex historiis I. C. CORDARA, I. S.)

Progressi in Alsatiam Sveci, cum alia regionis munita loca, tum etiam Hagenoam deditio occupaverant. Atque illi quidem modeste, ut in hostico, se geregant. Nam praeter pecuniae subsidia, de quibus ab initio convenerat,

(1) Sociis plurimis morem gerentes, et hanc rubricam instituimus, quam non lectibus singulis, sed etiam magistris pro schola gratam fore confidimus. — A. R.

nihil a quoquam insolentius exigebant, et suae unicuique religionis usum liberum permittebant. Sed diurna quies non fuit.

Svecos nihil adversi suspicantes inopinato stratagemate adoritur Salmensis comes, alias caedit, alias capit; cunctis demum oppressis, iterum potitur urbe. Quod singulari virtute, sed minus prudenti fortasse consilio factum, hostem incredibiliter efferavit, et infinitis deinceps aerumnis periculisque civitatem obiecit.

Irritatus nempe hostis redit cum valido exercitu, et urbem obsidione cingit; qui si praevaleret, haud dubie ruinam vastitatemque tectis, hominibus perniciem ultimam inferebat. Sed urbem egregia virtute ac fide tuerentibus praesidiariis, post plures conatus irritos, re desperata, discedere cogitur.

Iam quanti nostris et civitati pariter ea steterit obsidio dici vix potest. Primum a militibus praesidiariis malum, qui multi numero armis, et animo feroces, commeatum, cuius magna erat in urbe penuria, non tam poscebant, quam vi rapiebant. His rapinis multae spoliatae domus, et universa penitus exhausta civitas est. At foris igni ferroque vastata omnia. Mesis quam uberrimam frugum in agris pubescentium copia promittebat, omnino sublata. Abacta pecora, excisae arbore, aedificia vel diruta, vel incensa. Collegium in primis nostrum ea clades attigit. Quaedam erant in propinquuo praedia, quae nuper vir clarissimus dominus de Bildstein, in sacrum ordinem Capuccinorum transgressus, collegio Hagenensi transcriperat una cum villa eleganti, tum ad usus rusticanos, tum ad honestam animi quietem et relaxationem aptissima. Praedia foedum in modum Sveci pervastarunt, villam funditus subruerunt, ac solo aequarunt.

His malis accessit invecta a militibus in urbem lues, quae cum civium domos funeribus luctuque opplevit, tum e nostris, qui omnino quindecim in collegio censebantur, quatuor absumpsit. Sed quamquam civitatem tria simul conflictae mala gravissima, pestis, fames et bellum, stetit ea nihilominus in fide

Caesaris mira constantia, suisque se legibus gubernare perrexit, donec christianissimo Regi in tutelam tradita, eius patrocinio primum soluta est belli metu, mox a ceteris quoque calamitatibus respiravit.

Delegit HERMINIUS M. IACOBELLI.

ROMA SACRA

Acta Benedicti XV P. M.

Benedicti PP. XV sollicitudo de miseria Poloniae conditionibus bello partis. (Ex Pontificiis litteris ad r. p. d. Eduardum Likowski, Archiepiscopum Gnesensem et Posnanensem, missis).

..... Quum exploratum iam diu habeamus egregios Poloniae cives et Ecclesiae Dei et huic Apostolicae Sedi nullo non tempore firmiter adhaesisse, peculiari Nos quidem, uti par est, eos benevolentia ac dilectione prosequimur. Ob eamque rem, quum laeta tristia sint filii cum patre communia, fieri nullo pacto potest ut, moeroribus augustinisque circumventi, maximo dolore non afficiamus ob calamitates quibus, acerbissimo hoc bello, Poloniae incolae miserime torquentur. Etenim, dum paterna caritate mentem animumque ad eos convertimus, quot lacrimae oculis obiciuntur! Quae omnia intimos reconditosque sensus Nostros adeo vehementer commovent, ut Patris caritatem erga filios tam graviter vexatos quam maxime augeri sentiamus. Itaque aeterno solaciorum omnium Auctori Poloniae cives,

Nobis quidem dilectissimos, summopere commendamus, enixe Eum deprecantes ut belli furorem tandem coercent pacemque exoptassimam et pacis fructus optimos propitiis libensque donet. Vota haec Nostra omnipotens respiciat fortunetque Deus, et Polonis quaecumque vel sunt perpessi vel adhuc mala patiuntur, in bona vertere clementissimus Ipse velit. Tu vero, venerabilis Frater, et ceteri Poloniae Antistites, quae vestra est pastoralis caritas, pergit suorum quisque fidelium omnem sollicitudinem curamque habere, et pro viribus contendite ut ope vestra filiorum dolores mitigentur, leniantur aegritudines, lacrimae detergantur. Nos autem in bonam spem adducimur fore ut, opitulante beata Virgine, Poloniae patrona, omnium largitor prosperitatum Deus suorum munierum thesaurum Polonis aperiatur eisque benignus effundat. Quorum auspex et conciliatrix apostolica sit benedictio, quam tibi, venerabilis Frater, ceteris Poloniae Praesulibus et uniuscuiusque vestrum clero fidelibusque peramanter in Domino impertimus. — Dat. Romae, die 1 mens. Februarii MCMXV.

S. Congregatio de disciplina Sacramentorum.

De S. Synaxi et de celebratione Missae in castris.

I. — Milites ad proelium vocati (*i soldati sul fronte*) admitti possunt, servatis servandis, ad S. Mensam Eucharisticam per modum Viatici.

II. — Sacerdotes militiae adscripti qui militibus sauciis infirmisve deferendis vel curandis destinati sunt (*vulgo lecticarii vel infirmarii*), si in ecclesiis Missam celebrare nequeant, in quocumque loco, decenti tamen et tuto, et etiam sub dio, Sacrum litare possunt, remoto quovis irreverentiae periculo: ii vero qui armis dimicant, Missam eodem modo iisdemque sub conditionibus celebrare possunt, at Dominicis tantum et diebus festis de praecepto, dummodo omnes predicti sacerdotes nullo alio canonico impedimento irretiti sint.

(Ex decr. d. xi mens. Februarii MCMXV).

S. Poenitentiaria Apostolica.

De militibus ad proelium vocatis.

Licet milites ad proelium vocatos, antequam ad sacram Communionem admittantur, absolvere generali formula, seu communi absolutione, sine praecedente confessione, quando tantus est eorum numerus ut singuli audiri nequeant, doloris actu debite emissio. Ne omittant vero cappellani mili-

(1) Praescriptione hac monebantur fideles, etiam scriptores, quae ingenia sua acuerunt super iis aliisque id genus argumentis, quae novitatem saperent, ac sub pietatis specie insuetos cultus titulos, etiam per ephemeredes, promovere studerent, ut ab eorum proposito desisterent, ac perpendenter periculum quod subest pertrahendi fideles in errorem etiam circa Fidei dogmata, et causam praebendi Religionis osoribus ad detrahendum

tum, data opportunitate, eos docere absolutionem sie impertiendam non esse profuturam, nisi rite dispositi fuerint, iisdemque obligationem manere integrum confessionem suo tempore peragendi, si periculum evaserint.

(Ex decr. d. vi mens. Februarii MCMXV).

S. Congregatio Rituum.

De insuetis cultus titulis pro Ecclesiis et sacris imaginibus non adhibendis.

Quum exquisitum fuerit « an ecclesia dicari possit sacratissimo Cordi Iesu eucharistico eiusque tituli Imago seu Statua in altari maiori collocari », per decr. d. xxviii mens. Martii MCMXIV responsum est: « Episcopus Ordinarius loci in casu substituat titulum liturgicum tam pro Ecclesia quam pro Imagine seu Statua cum respectivo festo die propria recolendo et Officio adprobato, ex. gr. SS.mi Redemptoris, vel Sacratissimi Cordis Iesu, aut SS. Corporis Christi, etc. iuxta alia ipsius S. Rituum Congr. responsa in similibus casibus; quae omnino consonant praescriptioni sa. me. Pii PP. IX d. xiii mensis Ianuarii MDCCCLXXV (1), et decreto S. Universalis Inquisitionis diei xxvii mensis Maii MDCCXCII (2); servatis de cetero quoad sacras imagines seu statuas decreto Tridentino sess. XXVII, de veneratione sanctorum et imaginum, et Constitutione fel. rec. Urbani PP. VIII Sacrosancta Tridentina d. xv mens. Martii MDCXLII ».

puritati doctrinae catholicae ac verae pietati.
(2) Per decretum hoc sanctum fuit, nova emblemata SS. Cordis Iesu in Eucharistia non esse ab Aplica. Sede approbanda. Ad fovendam fidelium pietatem satis esse imagines SS. Cordis Iesu in Ecclesia iam usitatas et adprobatas; quia cultus erga SS. Cor Iesu in Eucharistia non est perfectior cultu erga ipsam Eucharistiam, neque alias a cultu erga SS. Cor Iesu.

FRIDIANUS

SIVE

De incondito adulescente⁽¹⁾

CAL. — Optume! Habes omnem rem...
(*Vox auditur Fridiani clamantis: Eho, pater, descendis an non?*) Euge, strenue!
Beatus vere es nunc quum clamitas!...
(*Elevata voce, ut Fridianus audiat:*) Venio,
ne occlamites!... Tu igitur, Stasime,
omnia intellexisti?

STA. — Ne dubites; vix dimidium disti, intellexi.

CAL. — Accende nunc mihi cereolum,
quo scalarum tenebrae dissipentur...
(*Stasimus exequitur; dum Fridianus patrem iterum iterumque compellat.*) Venio,
inquam, venio!... Arrige aures, Stasime;
id praesertim tibi commando: Fores occlusae omnibus sunto!... Vale.

STA. — Iussis ad amussim stabo. Bene ambulato, domine mi, exque amico tuo maximam capito recreationem! (*Calogerus exit; Stasimus ostium operit, clavemque secum trahit.*) — Abierunt tandem!... Remigrat animus nunc demum mihi, cui surdas iam aures et pater et filius reddiderunt... Specta, quam mixta sint omnia in conclavi isto!... Ad quas incitas redacta sint femoralia haec!... Ut mundem? Lutum desiccandum priusquam eluantur!... (*Apprehendit pectore, animadvertisque aliquid in crumena servari.*) Ecquid istic? (*Extrahit tesseras duas.*) Chartulae typis impressae... (*Aegre legit:*) SCHE...DU...LA AD... IN... VI... TAN... DUM. O tempora, o mores! Nunc et in prima pueritia filii traduntur

in disciplinam alicuius; diebus meis, contra... Atque ita factum est ut ego vix syllabatim legam atque adulescenti sim coactus servire, pro quo in me quidvis eorum conveniat, quae sunt dicta in stultum: caudex, stipes, asinus, plumbeus!... Quamquam, quoniam pacto sarciri id potest? Si stimulos pugnis caedis, animus plus dolet. Igitur quum quod non placet mutare nequeas, aequa feras. — Apponamus foliola haec ceteris, quae Fridianus noster e vestibus extraxit: ipse viderit. (*Tintinnabuli sonus concitus auditur.*) Ohe, ecquis hospes in ista hora?... Fortasse Strobilus ille vicinus importunissimus, qui, quum me unicum domi sciat, me obtundit ut secum latrunculis ludam, meque ludi imperitum exinanire solet. (*Iterum ac prolixius tinnitur; et sic deinceps.*) Cane, cane; tempus est dormiendi, non quidem ludendi... At, si alius siet?... Iussum est domini: « Fores occlusae omnibus! » Obsequar, et decumbam et quiescam noctem perpetem. (*Recedit in posticulum suum. Tintinnabulum aera semper pulsat, eique paulo post Fridiani vox adiutur clamantis:*) Stasime!... Eho tu, Stasime! Fridianus sum!... Barde, bucco, aperi tandem!... Totone fores demoliar cardine?... Pater, clavem trahas, qua postes reserem; Alpinus enim hic mus in lethargo cubitat... Non tu, non tu... Descendam ego, quo citius res expediatur... Maneas, inquam; invitatorias schedulas brevius ipse inve-

(1) Cfr. an. II, fasc. I, pag. 19.

niam et afferam. (*Post momentum ali- quod temporis ianua refigitur intratque Fridianus*).

FRID. — Solitudo ac tenebrae Pharaonis ante ostium hoc! (*Iter praetentat*). Intestabiles sacraeque sunt schedulæ istæ ad invitandum! Ecquod opus erat in alienis aedibus solemnia fieri? Nonne Lentuli ampliae satis erant, ut hospites omnes caperent? Atqui hæ clausæ sunt; tesserarumque oblii, nescimus nos quo tandem littoris appetendum sit.... Atque tamen ea folia in tuto posueram!... Flammifera vero frustula ubinam re- posui? Hac, hac certe... (*Genu in su- pellecilem offendit*). Ehi mihi misero: sugillationem certe mihi procuravi! (*Contusum crus attollit, idque faciens malluvium percutit, quod summo fragore comminuitur*).

STASIMUS. — (*Ex sua cella strepitum audiens magna voce quiritat*): Suppetias fert! Fures, fures heic sunt!

FRID. — Comprime absurdam istam vocem tuam in gurgulione; tu furcifer; ego Fridianus... Actutum potius facem apportes.

STAS. — Nequeo; lecto enim me re- cepi.

FRID. — Surgas igitur, socordissime, qui stertis noctesque et dies! (*Tentat ad pigmentorum repositorium, in terram que mittit ampullas, vasa, pectines, scopulas*). Atqui in loco aliquo esse debent! (*Omnia explorans, omnia subvertit*). Optime!... Ne tamen quis dicat me ingenio egregio ad miserias natum esse; quin imo ad fines qualibet ratione consequendos! En frustula flammifera! (*Ho- rum reapere capsulam invenit, quarum aliud post aliud incondite fricando incendere non valet. Tum denique lucem sibi per cereum flammiferum comparat, quando hinc Stasimus, inde Calogerus cum suis luminibus apparent*). Evax! Ad quid faces tot? Una sufficit! (*Unusquisque*

funale suum uno eodemque tempore ex- stinguit, ita ut tenebrae iterum fiant, per quas Fridianus, pater et servus, manu iter explorantes, alius alium impingit. Fridianus tandem, quasi iubens exclamat: Eodum! Immobilis quisque in suo loco maneat! (*Alium flammiferum incendit, lampadique ignem immittit*). Unice res prospere succedunt, quando a me componuntur.

CAL. — (*conclavis ruinam adspiciens*). Heu nobis! Quomodo tot damna concivisti?

FRID. — Castus ego a culpa sum, ea- que in inertissimum hunc transferenda, qui me in tenebris tam diu reliquit.

STA. — Ut cogitarem tam cito vos redire posse?...

CAL. — At istaec schedulæ tandem?

FRID. — Reperi nondum.

STA. — Sit cum vestra benignitate: licetne scire me, quidnam nondum in- veneritis?

FRID. — Surdus profecto es, qui adhuc non audisti frustra me tesseras quaerere, sine quibus Lentuli gaudio participare nequimus.

STA. — Numne schedulas duas quae « ad invitandum » inscribuntur?

FRID. — O cerebri felix, ipsissimas!

STA. — Eas in pectorali inveni, quod tu, herule mi, deposuisti.

FRID. — Nonne dixi me eas in tuto collocasse?

CAL. — Nunc autem?...

STA. — Habes cum aliis chartis super illa tabula.

FRID. — Atqui ut dices exspectasti, donec...

STA. — Donec fueris loquutus.

FRID. — Potin tu nunc ut desinas loqui?

(*Ad proximum numerum*). I. F.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, sponsor.

Romæ, ex off. I. Bertero et Soc. (*Via Umbria*, 27).

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium annuae subnotationis (fasc. 12) est in Italia libell. 9; ubique extra Italiam libell. 12 (doll. 2. 40; march. 10; rubl. 4 1/2; sh. 10; coron. 12) ante solvendum rectoque tramite mittendum ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, Romam, Via del Governo Vecchio, 96. ~ ~

FRANCISCUS XAVERIUS REUSS

IN CERTAMINE POETICO HOEFFTIANO ANNI MCMXIV
VICTOR RENUNCIATUS.

Die xxii superioris mensis Martii al- latae nobis sunt litteræ quæ sequuntur:


Idibus Martiis in conventu Ordinis Literarii Academiae Regiae Disciplina- rum Nederlandicæ re- latum est de xxiii car- minibus, quæ Amste- lodamum missa erant ut de praemio anni MCMXIV certarent. Ho- rum aureo praemio di- gnum iudicatum est carmen inscriptum *Mnemosynon*, cuius au- tor apparuit FRAN- CISCUS XAVERIUS REUSS (*Romanus*).

Praeterea prelo da- buntur novem car- mina præstantissima, si poëtae ante Kalendas Iunias veniam dederint sci- dulas aperiendi. Sunt autem his titulis:

Anticato, Sophronia, Pacis augurium, Satelles (cuius poëtam esse ANTONIUM

FAVERZANI iam statim apparuit cum ille scidulæ aperiendæ veniam antea dedisset), *Aquileia, Superstes sibi, De Margaritis, Planasia*; denique *Pueri Lu- dentes*, quod iudicum uni præstare *Mne- mosyno*, ceteris duobus proxime ad illud acce- derere visum est.

H. T. KARSTEN,
Acad. Reg. h. t. ab Actis.



Qua laetitia huius- modi litteræ animum nostrum perfuderint quisque coniicere pot- est, qui non unam hanc *Almam Romam* fuerit nobiscum sequutus, sed *Vocem illam Urbis*, cui qualescumque nostræ vires fuerint, tot annos consecravimus. Cum ea enim Francis Xaverius Reuss a tenebris, in quibus humiliiter latebat, excessit; in ea prima eius carmina palam edita sunt; ob